Morbio 26 (118)

Paulus eps servus servorum dei Dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri Episcopi Casalen. in spiritualibus generali Salutem et aplicam ben. Circa pastoralis officii debitum
salubriter adimplendum vigilantes assidue de statu Canonicatuum et prebendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet ne propter illa obtinentium impedimentum aut alias in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineant prospere dirigendo attentius cogitamus
ac cum expedit et a nobis petitur libenter eisdem officii partes favorabiles interponi mandamus illis quoque nos gratiosos reddimus quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Francisci Tarachia
senioris Canonici ecclesie Casalen. petitio continebat Quod ipse in Septuagesimo et ultra sue etatis anno constitutus ob ingravescentem etatem huiusmodi ac alia incommoda que etas ipsa secum passim afferre solet dicte ecclesie ratione illius Canonicatus et prebende quos a Quadraginta
annis vel circa obtinet de cetero per seipsum ut convenit deservire ac onera sibi exinde incumbentia perferre ac alias eosdem Canonicatum et prebendam in spiritualibus et temporalibus regere et administrare commode posse non sperat Ac propterea et ex certis aliis causis animum suum
moventibus cupit dilectum filium Franciscum etiam Tarachia Juniorem clericum Casalen. Civitatis vel dioc. de cuius fide probitate et idoneitate plurimum in Domino confidit sibi in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione dictorum Canonicatus
et prebende constitui et deputari Quare pro parte utriusque Francisci huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum quatenus dictum Franciscum Juniorem eidem Francisco seniori in Coadiutorem in regimine et administratione predictis constituere et deputare ac alias in premissis
opportune providere de benignitate aplica dignaremur Nos igitur qui Canonicatuum et prebendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet felici successui libenter consulimus volentesque prefatum Franciscum Juniorem apud nos de vite ac morum honestate aliisque
probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso Ipsumque Franciscum Juniorem a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet
innodatus existit ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes huiusmodi necnon dilectorum filiorum Capituli dicte ecclesie utriusque Francisci huiusmodi nominibus nobis desuper porrectis supplicationibus inclinati Discretioni tue per aplica
scripta mandamus quatenus si per diligentem examinationem dictum Franciscum Juniorem ad hoc idoneum esse reperies super quo conscientiam tuam oneramus dictum Franciscum Juniorem eidem Francisco seniori quoad vixerit ac Canonicatum et prebendam predictos obtinuerit in Coadiu-
torem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione eorundem Canonicatus et prebende in spiritualibus et temporalibus cum plena libera et omnimoda facultate auctoritate et potestate omnia et singula que ad huiusmodi Coadiutorie officium de iure usu consuetudine aut alias
quomodolibet spectant et pertinent faciendi dicendi gerendi exercendi et procurandi Ita quod Coadiutorie officio huiusmodi durante et dicto Francisco seniore absente vel alias impedito idem Franciscus Junior vice et loco illius tanquam Canonicus dicte ecclesie illi in divinis deservire stallumque in choro ac
locum et vocem in Capitulo processionibus et aliis actibus Capitularibus tam publicis quam privatis dicte ecclesie habere ac omnia et singula dictorum Canonicatus et prebende fructus redditus proventus iura obventiones distributiones quotidianas anniversaria et alia quecumque emolumenta
in quibusvis rebus consistentia que dictus Franciscus senior si personaliter divinis officiis tam diurnis quam nocturnis in dicta ecclesia celebrari solitis interveniret lucrari et percipere posset in omnibus et per omnia absque ulla prorsus differentia Ita quod residentia unius pro resi-
dentia alterius computetur et habeatur pro eodem Francisco seniore lucrari possit et debeat Ipse tamen Franciscus Junior non possit nisi de ipsius Francisci senioris licentia et voluntate in regimine et administratione Canonicatus et prebende illorumque fructuum iurium et bonorum huiusmodi
perceptione quovis modo seu quesito colore vel ingenio se intromittere aut immiscere minusque ab eodem Francisco seniore quicquam ratione officii Coadiutorie huiusmodi aut titulo manutentionis seu quavis alia de causa pretendere sed idem Franciscus senior remaneat in illis perinde ac si Coadiutor
sibi deputatus non fuisset ipsius Francisci senioris expresso ad hoc accedente consensu auctoritate nostra constituas et deputes Et nihilominus Canonicatum et prebendam predictos quorum et illis forsan annexorum fructus redditus et proventus viginti quatuor computatis vero distributionibus quotidianis predictis Centum duca-
torum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum ut asseritur non excedunt Cum primum illos per cessum et ex causa permutationis vel decessum seu ingressum religionis aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem dicti Francisci senioris vel alias quovis modo etiam in aliquo ex
mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti per constitutiones aplicas aut Cancellarie aplice regulas aut alias quomodolibet reservatis seu ordinariis collatoribus per constitutiones et regulas easdem aut litteras alternativarum vel alia privilegia et indulta concessis hactenus et imposte-
rum concedendis vacare contigerit et sic tunc quovis modo quem etiam si ex illo quevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet presentibus haberi volumus pro expresso et ex alterius cuiuscumque persona seu per liberam resignationem dicti Francisci senioris vel cuiusvis alterius de illis in
Romana Curia vel extra eam etiam coram Notario publico et testibus sponte factam aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent et tanto tempore vacaverint quod eorum collatio iuxta Lateranen. statuta Concilii ad sedem aplicam legitime devoluta Ipsique Canonicatus et [illegible]
dispositioni aplice specialiter vel ex quavis causa generaliter reservati existant et super eis inter aliquos lis cuius statum etiam presentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa cum annexis huiusmodi et plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto Francisco Juniori [illegible]
extunc et econtra et si tempore vacationis huiusmodi dictum Coadiutorie officium exercere non inceperit aut per eum steterit quominus illud exercuerit et presentes venerabili fratri nostro Episcopo Casalen. ac predictis Capitulo et Francisco seniori non intimaverit ac processus desuper necessarios [illegible]
rit dicta auctoritate conferas et assignes ac Canonicatum et prebendam predictos dicto Francisco Juniori collatos et assignatos sibique de illis provisum esse ac ex nunc plenum ius sibi in illis vel ad illos vere et non ficte acquisitum existere Ipsosque Canonicatum et prebendam de cetero ex [illegible]
cuiusvis alterius persona ad hoc ut de illis in alterius quam dicti Francisci Junioris favorem disponi quoquomodo queat minime vacare aut etiam coloratum titulum possidendi cuique alteri tribui videcumque posse ac etiam ex nunc quascumque collationes provisiones seu alias dispositiones de Canonicatu
et prebenda predictis quovis modo vacaturis seu vacantibus in alterius quam dicti Francisci Junioris favorem et per nos et sedem prefatam cum quibusvis clausulis et decretis faciendas tanquam contra mentem et intentionem nostras factas nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti
fuisse et esse nullumque per eas cuique ius acquiri vel etiam coloratum titulum possidendi tribui ac easdem presentes validas et efficaces existere suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere illasque sub quibusvis revocationibus suspensionibus aut derogatio-
nibus per quascumque constitutiones aplicas seu Cancellarie aplice regulas huiusmodi per nos seu successores nostros Romanos Pontifices etiam Motu proprio et Consistorialiter ac cum nominum et cognominum utriusque Francisci huiusmodi et dat. earundem presentium
specifica et expressa mentione ac sub quibuscumque tenoribus et formis necnon cum quibusvis clausulis pro tempore factis et faciendis ac concessis et concedendis minime comprehensas sed semper ab illis exceptas et quoties eas revocari vel limitari contigerit
toties in pristinum statum restitutas fore sicque in premissis omnibus per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos iudicari et diffiniri debere dicta auctoritate decernas faciens dictum Franciscum Juniorem officio Coadiutorie huiusmodi pacifice frui et gaudere non
permittendo eum per dictum Franciscum seniorem seu quoscumque alios quomodolibet indebite molestari Ac inducens per te vel alium seu alios dicto Coadiutorie officio cessante eundem Franciscum Juniorem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem
Canonicatus et prebende ac annexorum iuriumque et pertinentiarum predictorum ac defendens inductum amoto exinde quolibet detentore ac etiam faciens Franciscum Juniorem vel pro eo procuratorem prefatum ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem stallo
sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis sibique de Canonicatus et prebende ac annexorum eorundem fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi Contradictores auctoritate nostra appella-
tione postposita compescendo Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. viii. predecessoris nostri et aliis aplicis constitutionibus ac dicte ecclesie Juramento confirmatione aplica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus privilegiis
quoque indultis et litteris aplicis ecclesie Episcopo et Capitulo predictis aliisque Superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis necnon quibusvis specialibus vel generalibus et mentalibus
reservationibus expectativis et aliis gratiis unionibus annexionibus incorporationibus perpetuis vel temporalibus suppressionibus extinctionibus applicationibus et aliis absque consensu Coadiutorum deputationibus nominationibus nominandique ac confe-
rendi necnon aliis citra accessus et regressus facultatibus mandatis et indultis et cum provisionibus et aliis dispositionibus et nominatim specialiter et expresse de Canonicatu et prebenda predictis et ex nunc prout ex die vacationis illorum et econtra quibusvis
personis cuiuscumque dignitatis status gradus ordinis et conditionis existentibus et cum quibusvis aliis et quantumcumque maximis inexcogitabilibus et urgentissimis causis ac sub quibuscumque tenoribus et formis et derogatoriarum derogatoriis clausulis irri-
tantibusque et aliis decretis per nos et sedem eandem etiam Motu simili et consistorialiter concessis hactenus et imposterum concedendis Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua
mentio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat harum serie specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque Aut si aliqui aplica vel alia quavis auctoritate in dicta ecclesia in Canonicos
sint recepti vel ut recipiantur insistant Seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis dicte ecclesie speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis aut Legatorum eius litteras impetraverint etiam si per eas ad inhibitionem
reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum Quibus omnibus eundem Franciscum Juniorem in assecutione dictorum Canonicatus et prebende volumus anteferri Sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Canonicatuum et prebendarum seu beneficiorum
aliorum preiudicium generari Seu si Episcopo et Capitulo predictis vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint
Quodque de Canonicatibus et prebendis dicte ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras aplicas non facientes plenam et expressam
ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem Et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri Et de qua cuiusque
toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis Seu si dictus Franciscus Junior presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie solitum Juramentum dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum et cum ad ipsam
ecclesiam accesserit corporaliter illud prestet Volumus autem quod dictus Franciscus Junior ab alienatione qualibet bonorum immobilium et pretiosorum mobilium Canonicatus et prebende huiusmodi se penitus abstineat ac de gestis et administratis per eum dicto Coadiu-
torie officio durante rationem iuxta alteram eiusdem Bonifacii predecessoris constitutionem que incipit Pastoralis reddere et antequam officio Coadiutorie huiusmodi se in aliquo immisceat de eo iuste et fideliter exercendo in manibus tuis Juramentum pres-
tare teneatur Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo sexcentesimo sexto Sexto Id. Februarii
Pontificatus nostri Anno Secundo.

[illegible]
C. Pamphilius
V. [illegible]

S. Jacomellius

J. Bombelly
C. Amorius

Morbio 26 (118)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1880897709-18/fragment/page=0001

1606 Febr. 8

Marbio 26 (118)